

Maceraten.

Vicarius foraneus Montis Milonis supplicavit mandari Episcopo, ut prohibeat Sacerdotibus, ne faciant profundam reverentiam magistratui post Missam contra rubricas: Oretenus Episcopo in curia: Non licere.

Die 20. Junii 1654.

(Anal. J. P. 1863 p. 322.)

15) Ministri in Missa privata.

Ad dubium 1.: An minister, posito quod non accedat ad altare ut accipiat et plicat velum, debeat genuflectere Cruci quando recedit a loco suo ut adeat credentiam seu parvam mensam ad accipiendas ex ea ampullas, vel, sicut nonnullis placet, facere tantum inclinationem, eo quod tunc non recedat e medio altaris, vel, prout alii contendunt, nullam facere in hoc recessu reverentiam? An in eadem circumstantia debeat genuflectere SSmo Sacramento incluso in tabernaculo?

2.: Similiter: an idem Minister accedens ad cornu Epistolae cum ampullis debeat genuflectere Cruci vel tantum inclinationem facere eo quod non accedat ad medium altaris. An debeat tum saltem genuflectere, quando adest in tabernaculo SSmum?

S. C. resp. *ad 1.*: In transitu tantum ante medium altaris in casu genuflectendum vel inclinandum;

ad 2.: Provisum in praecedenti.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

16) Missa finita.

Sacerdos in fine Missae ad quodcunque altare (etiam, ubi non est SS. Sacramentum) celebratae infra gradus aperto adhuc capite reveren-

tiam faciat altari. n. 707 ad 1 die 7. Aug. 1627.

In fine Missae ad quodcunque altare celebratae fit reverentia Cruci infra gradus capite discooperto. n. 2362 ad 9 die 13. Febr. 1666.

Tam in ingressu Sacerdotis ad altare, super quo non est SSmum expositum aut in ciborio asservatum, quam ante principium Missae, reverentia Sacerdotis debet esse profunda capitis et corporis inclinatio juxta rubricam. n. 4507 ad 5 die 8. Apr. 1808.

Cf.: *Inclinatio capitis; Missa cor. Laicis.*

17) Ad nominat. SS. Trinitatis.

Juxta decretum 7. Sept. 1816 in Tuden. ad 40. congruit, ut fert praxis universalis praesertim Urbis, fieri inclinationem capitis, quum pronunciat nomen SSmae Trinitatis; immo Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 6. n. 8. praescribit inclinationem profundam in fine hymni, quum nominatur Sancta Trinitas. Exinde autem aliqua oriuntur dubia:

1. *An haec inclinatio locum habeat, quoties fit expresse mentio Sanctissimae Trinitatis sive per enumerationem personarum, v. g. Genitori Genitoque etc., Procedenti ab utroque, sive per nomen ipsum, „Trinitas“ vel per haec verba „Trinus et Unus“ aut similia ut tradunt Bauldry Manual. Caerem. part. 2. cap. 4. n. 2. et alii?*

2. *An fieri debeat etiam quando Clerus est genuflexus, v. g. quando in sacra functione repositionis Sanctissimi Sacramenti cantatur: Genitori.*

3. *An facienda sit ad totam stropham, in qua nominatur Trinitas, quum in ea datur gloria Deo, prout in stropha: sit salus illi — Trinus et Unus: aut cum in ea exprimitur in-*

vocatio Dei, v. g. Nunc Sancte nobis Spiritus? vel dumtaxat ad verba, per quae fit mentio Trinitatis, etiamsi supersint duo tantum versiculi aut unus solus supersit?

4. *An fieri debeat etiam ad verba strophae nec glorificationem Dei nec invocationem exprimentia, v. g. in primo versiculo hujus strophae: Jam sol recedit igneus, Tu lux perennis unitas, Nostris Beata Trinitas; vel inchoanda sit cum verbis glorificationis: Tu lux perennis . . . aut supplicationis etc.?*

5. *Quatenus inclinatio facienda sit ad totam stropham vel ad duos vel tres versiculos, quaeritur: an eo tempore Clerus stans debeat omnino conversus esse ad altare vel sufficiat profunde inclinare caput versus altare semivertendo corpus, sicuti in inclinationibus, quae fiunt ad unum verbum aut ad pauca verba?*

S. C. resp. quoad quaest. 1.: In inclinationem faciendam, quando nomen Jesu vel simul expresse nominantur tres personae ut in: *Deo P. sit gl.* vel dum dicitur expresse „s. Trinitas“ in hymno;

ad 2.: negative;

ad 3.: ab inclinatione cessandum, quum post nominatas expresse tres personas vel s. Trinitat. superest aliquis versiculus;

ad 4.: negative;

ad 5.: negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2199.)

18) In Officio Defunct. cantando.

Vd.: *Reverent. in Triduo sacro* (dub. II.); *Praeses* (cap. VII.).

19) Quando non est facienda?

Vd.: *Praeses* (cap. VII.).

20) SSmi Pontificis.

a) *Nemini SS. Pont. facit reverent.*

Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit assurgendo manifeste aut caput inclinando seu detegendo. Romanorum vero Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis et manus suscepit, aliquantulum assurgit, ad oris osculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens. Idem aliquando facit et magnis regibus. Caeteros omnes, tam Principes quam Praelatos, cujuscumque dignitatis sint, cum ad oris osculum eos recipit, non assurgit sed sedens recipit. Consueverunt tamen Pontifices Cardinalibus et maximis Principibus privatim adventantibus et reverentiam facientibus, cum non sint in pontificalibus, aliquantulum caput inclinare tamquam reverentiam reddentes; et hoc non ex Officio sed ex laudabili humanitate.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 330.

b) *Quae ei exhibetur?*

Vd.: *Rever. Card.* (erga Pontif.)

Omnes mortales et praesertim christifideles, cujuscumque sint dignitatis et praeeminentiae, cum primum in conspectu Pontificis adveniunt, distantibus spatiis ter ante illum debent genuflectere et in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vices in terris gerit, ejus pedes osculari. Imperator, Reges, maximi Principes, Principum seu Potentatum Oratores prima vice et ad osculum manus et oris recipiuntur, alii ad pedes tantum. Cardinales vero profunde se inclinant

bis et tertio flectunt genu noviter venientes et osculantur pedem. Pontifici Sacra tractanti Cardinales dextram manum sub auriphrygio pluvialis osculantur, Episcopi, Praelati parati genu dextrum tantum. Imperatores, Reges, maximi Principes et omnes alii in omnibus actibus pedem. Sed cum Pontifex candelas, palmas seu Agnus Dei distribuit, Cardinales parati manum primum deinde genu osculantur, Praelati parati genu tantum, Imperatores, Reges et maximi Principes manum et pedem.

Catalan. Caer. Eccles. rom. I. II. cap. 330.

21) Quae?

Quum rubrica clare non loquatur, quaeritur: quando in Missa et in Officio facienda sit reverentia simplex, quando mediocris et quando profunda tam in sacristia quam in altari?

S. C. resp.: „Patebit ex rubricarum collatione.“ n. 4669 ad 29 die 12. Nov. 1831.

22) Regula.

Regula circa reverentias est: Cum aliquis ex Canonicis vel ministris transeundo ante celebrantem, altare et Episcopum vel aliquem majorem facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis, puta, si ille discedit a celebrante iturus ad Episcopum et transiturus ante altare, primo faciet reverentiam celebranti, tum altari et ultimo loco Episcopo et pari ratione, si discedit ab Episcopo iturus ad celebrantem, primo Episcopo, deinde altari, ultimo celebranti faciet reverentiam. Et breviter reverentia fieri debet semper primo ei, a quo disceditur et ultimo ei, ad quem itur, nullo

habito respectu, quis eorum sit major. Regula etiam est, ut si plures in eodem loco veniant Praelati, ac etiam Legatus et Cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato et Celebranti reverentia exhibeatur.

Caer. Ep. I. 1. cap. 18. n. 13. 14.

23) Coram SSmo exposito.

Ad dubium: An in expositione SSmi Sacramenti, praesente Ep. genuflexo, Celebrans, dum pervenit ad altare, debeat ei reverentiam praestare et dum ascendit ad impertiendam fidelibus benedictionem, facultatem cum actu obsequii ab eodem postulare?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Negative ad utrumque.“

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 6 die 27. Febr. 1847.

Nemini deberi reverentiam coram SSmo publicae venerationi exposito. n. 4450 die 31. Aug. 1793.

24) In Triduo Sacro.

Vd.: *Salutatio in choro; Praeses* (cap. VII).

Dubium I.: Utrum in Officio tridui mortis Christi omnes, qui caeteroquin Crucis faciunt tantum profundam reverentiam, prout Episcopus, Canonici, Celebrans etc., debeant genuflectere, vel utrum haec genuflexionis regula locum habeat solummodo in die Parasceve post Crucis adorationem?

Votum Caerem. Magistri.

De genuflexione facienda Crucis etiam per eos, qui caeteroquin eidem profunde inclinant in triduo hebdomadae majoris, inter rubricistas varii varia sentiunt:

Sic ex. gr. Merati in suis observationibus ad commentaria *Gavanti* tom. 2.

sect. 6. cap. 13. n. 5. vult omnes genuflectere Crucis a matutino fer. V. in Coena Domini, Cavalerius vero tom. 4. cap. 1. decr. 9. n. 4. a Vesperis dictae fer. V. seu post altarium denudationem. Sed haec particulares sunt auctorum sententiae; certum e contra est neminem ad id teneri ante fer. VI. praedictae hebdomadae tum ex argumento, ut ajunt, negativo, quia nullibi id praescribitur neque generatim in usu est, tum ex argumento positivo et ex ipso Ecclesiae facto. Est enim solum in detectione Crucis, quod pie dolens sancta Ecclesia maternam extollens vocem fidelibus lignum Crucis quasi manu ostendens eos semel iterumque compellat, ut specialem eidem venerationem praestent: „*Ecce lignum Crucis, venite adoremus.*“ Certum aequae est, in detectione Crucis, in ejus adoratione et post, fer. VI. in Parasceve omnes teneri eidem genuflectere ex Caeremoniale Episcoporum lib. 2. c. 25. n. 23. 25. 28. 30., neque ipso excepto Episcopo. Non desunt tamen rubricistae, qui doceant, ipsimet celebranti ea die genuflectendum esse Crucis ante praedicta, puta in primo accessu ad altare. Sed juxta decretum hujus Sac. Cong. diei 31. Aug. 1839 (n. 4720.) celebrans non debet Crucis genuflectere nisi post ejusdem adorationem. Ex quibus omnibus inferri posse videtur, licet improbandus non sit usus, ubi viget, genuflectendi Crucis vel in toto vel in parte triduo majoris hebdomadae, stricte hanc regulam habere locum in die Parasceve post Crucis denudationem ac adorationem. Respondendum itaque censeo: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 334.)

Decreta authentica. Tom. III.

Dubium II.: Utrum in Officiis luctuosis hebdomadae sanctae et in Officiis mortuorum omitti debeant:

1. *Salutatio chori a quocumque adveniente post incœptum Officium et opportuna resalutatio?*

2. *Salutatio chori a celebrante in accessu et recessu?*

3. *Salutatio chori a celebrante a sede sua ad altare pergente?*

4. *Salutatio chori a quocumque cantaturo lectionem vel a Subdiacono Epistolam cantaturo?*

Votum Magistri Caeremon.

Ex praxi communiter et praecipue in alma urbe usitata salutationes, de quibus in dubio, omittuntur tantummodo:

1. Fer. VI. in Parasceve post adorationem Crucis usque ad finem.

2. Ab elevatione missarum solennium seu cum cantu ad communionem.

3. In Missis aliisque divinis Officiis, quae coram SSmo Sacramento exposito peraguntur.

Quod autem hae salutationes neque in luctuosis Officiis hebdomadae majoris neque in Officiis defunctorum sint omitteandae patet ex Caeremoniale Episcoporum, quoad prima lib. 2. cap. 22. n. 7.: „Finito quolibet psalmo, Caeremoniarius vel aliquis capellanus accedit cum debitis reverentiis“ etc.; et n. 9.: „tum cantores accedunt cum debitis reverentiis altari et Episcopo ad legile praeparatum“ etc. Et cap. 25. n. 12. 13.: „tum unus ex beneficiatis cotta indutus comitante Caeremoniario cum debitis reverentiis“, sibi ipsi librum tenens, dicit *primam* prophetiam ... qua finita, *relinquit* librum in manu Caeremoniarii et factis debitis *reverentiis*“ etc. Et n. 19.: „cantores, qui cantaverunt Passionem, cum debitis reverentiis discedunt“; et n. 20.: „quo finito Diaconus cum aliis, qui

secum erant, factis debitis reverentiis, ad loca sua redeunt. Et tunc si sermo sit habendus, ducitur sermocinator in habitu convenienti ante Episcopum ... et cum debitis reverentiis vadit ad pulpitem“ etc. Et cap. 26. n. 2. 4. 6.

Quoad altera vero Officia, videlicet defunctorum, patet aequae ex eodem Caeremoniale lib. 2. cap. 11. n. 10. 18. de profunda reverentia vel genuflexione Episcopo facienda a sermocinatore et de salutatione, qua quisque ex quatuor Episcopis vel Praelatis facientibus absolutionem circa castrum doloris prosequi debet alios, dum ante illos transibit.

In quibus testimoniis licet non fiat expresso sermone de salutationibus erga chorum, tamen, quia aliquando dicitur: cum debitis reverentiis, eas esse dicendum est, de quibus idem Caeremoniale lib. 1. cap. 18.

Quapropter puto salutationes, de quibus in dubio, omittendas non esse per responsum „Negative in omnibus.“

S. C. resp.: Negative in omnibus excepto Officio fer. VI. ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati sancti.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 353.)

REX.

1) Associatio.

Vd.: *Laici* (associat.).

2) Ingressus in Presbyterium.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXVII. n. 3.

3) Nominatio in Canone Missae.

Vd.: *Nominatio Imperator. Austriae etc.*; *Parasceve* (Oratio pro imperat.); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Ex quo primum etc.* §. 25—28.)

4) Oratio publica.

In Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum recit. Collecta:

„Et famulos tuos Papam Nostrum N., Antistitem Nostrum N., Reginam et Principem cum prole regia, populo sibi commisso et exercitu suo ab omni adversitate custodi, pacem et salutem nostris concede temporibus et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam et gentes paganorum et haereticorum dexteræ tuæ potentia conterantur et Captivos Christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare et fructus Terræ dare et conservare digneris.“

S. R. C. ad relationem Emi Domini Cardinalis Rasponi, supplicante Fratre Francisco de Sancto Marco Procuratore Generali Discalceatorum Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum nomine totius praedicti Ordinis, tam Calceati quam Excalceati praedictam Collectam, ut jacet, approbavit et in universa Hispania ab omnibus Sacerdotibus tum Saecularibus tum Regularibus tam in Missis cantatis quam privatis post Orationes in Missali descriptas, juxta concessionem san. mem. Pii V. et Gregorii XIII. dici ac imprimi posse concessit.

Die 13. Julii 1675.

V. Cardinalis Carpineus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Casalius

S. R. C. Secr.

Romae, Typis Reverendae Camerae Apostolicae 1675.

(Anal. J. P. 1857 p. 2155.)

Vd.: *Oratio pro Rege; Preces publicae; Parasceve* (Orat. pro Imperat.).

5) Pax.

Vd.: *Pax Laicor.*

6) Thurificatio.

Vd.: *Incensatio Laicor.*; *Thurificatio* (Papa praesente etc.).

REX HUNGARIAE

(Crux gestanda).

Sylvester II. PP. Stephano duci Hungariorum (postea Regi).

Nos singulari privilegio excellentiam tuam tuorumque meritorum intuitu haeredes ac successores tuos legitimos, qui, sicut dictum est, electi atque a sede apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut, postquam tu et illi corona, quam mittimus, rite juxta formulam legatis tuis traditam coronatus vel coronati extiteritis, Crucem ante se, apostolatus insigne, gestare facere possis et valeas atque illi possint valeantque.

Die 27. Martii 1000.

(Bull. r. t. I. p. 478. Ed. Aug. Taur. 1857.)

RITUALE.

1) Approbatio.

Vd.: *Missale* (approb.); *Libri ecclesiastici* (approb.); vd. etiam *decreta in principio Ritualis rom. apposita.*

2) Cardinalis Sanctorii et P. Alberti Castellani.

Vd.: *SS. Sacram.* (Delatio ad incendium etc., Constitut. Bened. XIV. §. 18 et 20—25.)

3) Graecorum.

Vd.: *Ritus Graecus.*

4) Romanum (Obligatio).

Vd.: *Poenitentia; Sepultura* (forma); *Extrema unctio* (unctio pedum; decr. n. 4780 nota); *Ritus Missae; Ritus roman.*

Parochi functiones parochiales obertes servare debent in ipsis Caere-

monias Ritualis romani. n. 2912 ad 7 die 24. Febr. 1680.

Ad dubium: An parochus in administrandis Sacramentis Rituali romano uti queat (non obst. prohibitione Episcopi)?

S. C. resp.: In casu: affirmative.

Die 22. Maii 1841 in *Trecen.*

Hispaniarum.

Clerus Hispaniarum S. R. C. exponi curavit, non sine Christi fidelium scandalo in regnis Hispaniarum diversam in administrandis Sacramentis Caeremoniarum praxim adhiberi, quique Rituali romano, jussu sa. me. Pauli Papae V. novissime edito, non omnes Ecclesiarum Rectores utantur. Sacra igitur Congregatio ad nuncium Hispaniarum dirigi literas imperavit, quibus vigili ejus curae commendetur, ut Rituale praedictum ab omnibus recipiatur et observetur.

Die 9. Oct. 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 335.)

Hispaniarum.

Perillis et Rme Domini uti Frater. Emis-PP. S. R. C. praepositis renuntiatum est, diversam in Hispaniarum regnis administrandorum Sacramentorum praxim servari ex eo, quod non omnes Ecclesiarum Rectores observantiam moderni Ritualis romani a sa. me. Paulo V. editi adhuc assumpserint; idque praesertim cum tam religiosarum gentium scandalosa admiratione accidere, ut quandoque in eadem Ecclesia in eodemque Sacramento administrando, ex rectoribus quis Ritualis antiqui, alter Ritualis moderni Caeremonias adhibeat. Sacra autem Congregatio, praecipua probataque Hispani Cleri erga S. Sedis Apostolicae romanaeque Ecclesiae ordina-